

26

DE O DUCE & AUSPICE  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
**NATURAM PHILOSO-**  
**PHIÆ IN GENERE,**  
ejusq; partium constitutionē  
succinctâ explicatione exponens.

Q U A M

*Consentiente ac suffragia addente venerandâ facultate phi-*  
*losophicâ in Illustri ad Auram Academia*

P R A E S I D E

*'Nobilissimo, Amplissimo Excellentissimo, Domino'*

**D N. MICHAEL E Gyllenstålpe/**  
Hæred. de Jakoila & Kernheem J. u. & phil. Doct. in-  
clyto, & in prædictâ universitate polit hist. legumq;  
professore celeberrimo, mecænate patrono, ac  
promotore suo ætatem colendo.

*Pro privilegijs ac dignitatibus gradus in philosophia supremi  
obtinendis ad publicum defert examen.*

**JOHANNES A. NEZELIUS SUDERMANNUS**  
Addiem Octob. Anni 1655.

A B O A E

Excusa à PETRO Hansen Acad, Typogr.

*Hansen*

*Illustribus ac Generosissimis Dominis.*

**D**N. LAURENTIO Creutz/  
lib. Baroni de Casaritz Dn. de  
Sarswelax & Albborsforse/ districtus  
magni Cuprimontanorum, Da-  
liæ orientalis ac occidentalis, ac  
ditionis Sätter ac Nåssgårdz Dy-  
naстæ pereximio, nec non Re-  
gij collegij metallici Holmensis  
Adseffori in clyto.

**D**N. ERNESTO JOH. Creutz/  
Lib. Baroni de Casaritz/ Dn. de  
Halma & Tammerfölli/ tractus  
Nylandiæ ac Tavastiæ Dynastæ  
percelebri.

*Patronis, Mecœnatibus ac Dominis meis gratioſiſſimiſ, hanc  
gradualē disputationem ſubmiſiſſimè offert.*

JOHANNES A. NEZELIUS.



Uanquam omnibus creaturis præferendus veniat homo qui Θωμαθωμάτων καὶ τολμητάτης τησφύσεο ἀγαλμα veteribus dictus fuit. Tamen per labem illam Edenicam, tanta ipsi inducta fuit calamitas, tanta miseria ac confusio, ut in multis infra brutorum sortem ac conditionem projectus videatur; quippe pro integritate mutilatio, pro animi facultatum superiorum cum inferioribus, & vice versa harmonica συμφωνία, maxima confusio, proq; affectuum & qualitatibus maxima inæqualitas invaseré, quod etiam verissimè expressit poëta inquiens; *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.* Sed quid? τρέσσεγγις tamen ille rudera seu scintillas quasdam residere fecit in homine, quæ arte & exercitatione ceu follibus excitatae, mentis illam ἀβλυτικην seu caliginem propellerent, sapientiaeque, pretiosam suppellectilem postliminio reductam, in genuina ac nativa sede collocarent. Lumen vero hoc ingenij animi; hæc fax Philosophia haud in commode appellari cæpta est, quæ generofis | mentib; iisq; quas de meliori luto finxit pra cordia Titan tantum sui impressit amorem, tantam venerationem ut nihil pensi nihilq; moderati haberent, quin hanc sibi pararent, proq; ejus acquisitione exilia potius quam peregrinationes susciperent: idq; haud immerito, quid enim convenientius ac accommodatius humanæ societati ipsa philosophiæ; hæc ignorantiae vindicta morum directrix, assimilatio Dei, strenua me-

*statio mortis condignis, ne ecomiis decantatur. Ejus  
ego ingressus viridarium, constitui non unum florem  
carpere, sed totam sub incudem examinis publici voca-  
re jussui venerandæ facultatis philosophicæ satis factu-  
rus, tum ut specimen qualemq; progressus in hoc stu-  
dij genere præstigi ederem, cum etiam ut viam mihi ster-  
nerem patentiorem ad facultatem aliquam superiorem  
cui jam jam meos conatus mancipando dueo. Sed quo-  
niam omnis nostra in studiis humanioribus speculatio  
sine divini numinis auspicio est miserabilis erratio dicen-  
te Scalig. excer. 359. s. l. Illud etiam devotè im-  
ploro sequenti disticho.*

*Dirige cuncta Deus, conatus insuper Auge  
Successu ut validō vernalent florentq; perenni.*

## SECTIO PRIMA

# Exhibens philosophiæ defini- tionem & divisionem.

### PRÆCEPTA.

1. *Philosophia est habitus Animi sapientia & pru-  
dentia constans. vel dilucidius ita. Philosophi-  
a est habitus Animi qui speculatione rerum cogno-  
scendarum intellectum. vitaq; innocua ipsam vo-  
luntatem secundum naturalem aptitudinem ex-  
polit.*
2. *Dividitur haud inconcinnè in theoricam &  
practicam.*

*magd.*

## Ad præcept. in genere.

**N**unquam non honorabile viuum fuit, saniorum ubique gentium philosophia nomen; locupletissimus est thesaurus verè suum possessorem ditans ingens est Dei donum mortalibus concessum ad ignorantiae tenbras propellendas, voluntatisq; enormitates reformatas: hæc tam speciosa virgo est, ut si oculis cerneretur corporeis incredibiles amorum æstus cieret: Sed eō tamen petulantiae nonnulli surrexere Reip. literariae pestes ut eam Ethnicorum inventum ac figmentum, lusum que otiosorum hominum frivolum appellitare ausi sunt: Verum ut nulla ars ita ~~neq;~~ ipsa veneranda Philosophia osorem experitur neminem nisi ignorantem; Hisiæ quiiores rerum egissent Judices, perpendentes inventum humanum illud esse quod nullam congruentiam cum Deo & Natura habet, adeoq; fictum falsumq; est, ac Deo ipso qui veritas est repugnat, *ut mundi eternitas, labor intelligentiarum in circumrotandis stellis & ejus furfuris plura.* Philosophia vero cum nihil aliud sit, quam rerum omnium coram mente representatio, non potest non insignem convenientiam cum Deo & rerum omnium universitate habere. Non ergo hominum figmentum est philosophia sed maximum Dei donum, adeo ut insigni Deum ipsum mactent honore qui philosophiam disce-re vel docere satagunt. Verè genuini & γνησιοι philosophi tot Deo cantant hymnos, quot movent discursus, tot ferunt libamina, quot edunt volumina. Neq; hodiè aut nudius tertius ipsa philosophia coepit, sed statim cum rerum omnium primordijs. *Appellarvit Adam Gen. 2. nominibus proprijs cuncta animantia & volatilia cæli omnes bestias terræ.* Quæ ὄντας θεοί non casu aut temerario

Impetu facta fuit, sed ex perfecta totius mundi cognitio-  
ne manavit. Unde Adamum absolutissimum saluta-  
mus philosophum. Addo huic Sethum Adami filium,  
qui motum cælestium doctrinam columnis erectis in-  
scribi curavit ut testatur Josephus Jud. ant, lib 1, c. 3.

παράφρασις

### Ad I. præcept.

In definitione hac exhibita notanda (1) Στοματολο-  
γία sive ipsius nominis genuina expositio. In hac di-  
spiciendum de (α) στομων μία seu vocis derivatione  
Vox hæc philosophia χειρός sive natura est græca, Αργί-  
τει vero sive usurpatione nunc latinâ civitate est donata.  
dicitur vero ἀπό τῆς φιλίας καὶ σοφίας ita ut philosophia  
nihil aliud sit, quam amor sapientiæ; unde efflorescit  
σοφίαν καὶ φιλοσοφίαν id est sapientiam & studium sapientiæ  
non aliter differre quam sapientia inchoata & imper-  
fecta, à perfecta & absoluta. Introducta dicitur à Py-  
thagora primo, ut pater ex Fonseca in proem lib. metaph.  
c. 4. Connimbricensibus in proemio physicæ auscultationis  
aliisvè authoribus classicis. Nam cum illi olim qui insi-  
gni aliquâ eruditione exculti erant, σόφοι dicerentur,  
hic Pythagoras interrogatus à Leonte principe Phliasiorum,  
cujus artis professor esset, respondit notatio-  
ne ad causam efficientem impulsivam factâ, se non σόφοι  
sed φιλόσοφοι id est non sapientem sed sapientiae studiosum esse.  
Arrisit tandem postea hæc modestia Phythagoræ ita o-  
mnibus omnium sectarum philosophis ut mallent appellari φιλόσοφοι quam σόφοι, quô jure quâve injuria hoc  
nomen sit immutatum enucleabitur in quæstionibus  
inferius. (β) δημωνομία sive vocis multiplex significatio;

sumi

sumitur verò hæc vox vel (1.) Abusiva pro sophistarum  
malignâ explicatione ut in illo dicto paulino ad Coloss.  
cap. 2. (2.) generaliter dum obtinet significationem (a.)  
latiorem quando involvit omnem disciplinam, sive ea  
primario sive secundario expoliat ipsum intellectum,  
quò sensu divisere veteres philosophiam in logicam, Natu-  
ralem & Moralem, ut testatur Plutarchus lib. 1. de plac.  
philosophorum c. 7. (3.) Latissimam pro quavis hu-  
mana industria sive animum sive corpus concernat,  
quo sensu Arist. 6. Eth. c 7. Phidiam Lapicidam & po-  
lycletum statuarium sapientes vocat. (4.) Strictè dum  
vox philosophia sumitur pro parte ejusdem dividente  
eam, ut vel pro sola theoretica vel pro sola practica phi-  
losophia, ut Plato dixit in phædone; hæc vero acceptio est  
synecdochica. (5.) Strictius dum capitur pro metaphy-  
sica physicæ juncta Arist. teste lib. 1. Metaph. c 4. (6.)  
Strictissimè pro sola Metaphysica quæ ~~κατά την~~ dici-  
tur philosophia prima, quia ipsa reliquarum disciplina-  
rum est architetonica & primaria. Arist. lib. 4. metaph.  
c 2. (6.) Adæquate & propriè dum sub Censum suum  
implicat eas tantum disciplinas à tribus facultatibus su-  
perioribus, item à disciplinis instrumentalibus atq; me-  
chanicis discriminatas, quæ ad humanum intellectum  
perficiendum civilesq; actiones rite ac rectè expediun-  
das, primario ac per se faciunt. In hac acceptione hac  
vice acquiescimus. (7.) Συνώνυμια, cujus loco varia  
adduci possunt philosophiaæ lencomia, quæ apud Da-  
mascenum aliosve autores ubertim fese offerunt Vid,  
Damasc. lib. 1. Dial. c. 3.

(2.) πραγματολογία in qua definitio realis fese of-  
fert discutiendam. Resolvitur data definitio in con-  
ceptum Convenientie & Disconvenientie Convenientiae  
com-

communis & genericus conceptus est. *Habitus* quod patet per advenit scalam prædicamentalem, inde enim petenda sunt genera inde differentiae. Omne ens est vel *Substantia* vel *Accidens* juxta tritum. *Summus Aristoteles* trutinando cacumina rerum, in duo divisit quicquid in orbe fuit. Philosophia autem non est *substantia*, nec est alius qui secus opinatur, sed *Accidens Non respectivum*, quia respectiva Accidentia non tantum *internum* sed etiam *externum* necessario respiciunt *subjectum*, ut patet in *actione*, quæ quamvis primariò radicetur in agente, non tamen potest intelligi sine paciente quodam, quod sua Natura respicit; Sed *Absolutum*, quia philosophia *internum* tantum respectum ad *subjectum suum proprium* & *Adæquatum*, nimis ad intellectum hominis principaliter involvit. Si *Absolutum* accidens aut *quantitas* aut *qualitas* est, Non *Quantitas* quod probatum reddo duobus argumentis. (1.) *Quod nobis ratione quantitatis non competit*, illud ad *quantitatem neutram* est referendum, At philosophia vero ratione *quantitatis neutram* nobis competit. Ergo Major probatur quia omne *accidens* implicat respectum ad *subjectum suum proprium* & πρωτόεντην de quo demonstratur *adæquata*: Minor propria luce radiat Est enim in animo philosophia qui *quantus* & *extensus* non est. (2.) *Per quantitatem dicitur subjectum quantum*, per philosophiam vero homo non dicitur *quantus*. Minor patet quia philosophia adminicula homo nec major nec minor redditur. Philosophia igitur ad prædicamentum *qualitatis* est referenda: ad quamnam vero *qualitatis speciem* pertineat ita adstruitur; *Tria sunt in animo annotante philosopho 2 Eth. c. 5.* *Affectus potentia Habitus*; Philosophia genus non potest esse *affectus* quia (1.) Circa *affectus* (de parte ejus loquendo) domandos ac

tran-

tranquillandos versatur adeoq; ipsa numero affectuum accenseri nequit. (2.) Affe<sup>c</sup>tus subitaneo motu erumpunt nobisq; invitis se obtrudunt, inq; facultate hominis  $\alpha\lambda\gamma\omega$  resident, quæ de philosophia dici nequeunt. Nec potentia quia (1.) hæc Natura nobis inest, philosophia non item; quamvis vero inficiandum non sit se, mina quadam & igniculos nobiscum connasci, quæ tamen potius sunt ejus inchoamenta quam complemen- ta. (2.) quæ Naturæ nobis insunt illa mutari aut loco moveri nequaquam aut difficulter queunt juxta illud Horatij.

*Naturam expellas furca tamen usq' recurrit.*

Philosophia vero contrariò se habet modo, quippe cuius habitus nunc intensior est nunc remissior.

Hinc itaq; elucescit subductis ceteris membris philosophiae genus debere constitui *Habitum*, tum quia definitio habitus ipsi competit, cum etiam requisita *Habitum* præcedentia ut sunt  $\mu\alpha\theta\sigma\tau\circ$ s,  $\alpha\sigma\kappa\eta\sigma\tau\circ$ s &  $\varphi\sigma\tau\circ$ s ad ejus constitutionem exigantur. Cum vero egregius sit *Habitu* numerus, alij enim sunt *Corporis* alij *Animi* alij  $\Theta\epsilon\circ\delta\tau\circ\tau\circ$ s alij  $\sigma\circ\mu\varphi\tau\circ\tau\circ$ s alij  $\epsilon\mu\sigma\tau\circ\tau\circ\tau\circ$ s ad animi non corporis ad acquistos non connatos aut infusos habitus est referenda. *Specifica differentiae* investigatio petitur à subjecto & fine. Nam quemadmodum omnis *Habitus* definiendus est mentione sui subjecti, ita quoq; ipsa philosophia inde suam metitur essentiam. *Objectum* vero ejus sunt *Res* partim *necessaria* intellectum in cognitione *Veri* exponentes quævè ex Naturalibus causis perpetuo fluxu uniformiter prodeunt: ut *Metalla*, *Elementa*, *sydera*, *Herbae*, *arbores animalia* horumq; omnium *Natura*. Partim contingentes quæ etiam *humana* dicuntur quæ pro nostro arbitrio

trio variè instituuntur, mutantur & peraguntur ut *Temperantia*, *Liberalitas*, *fortitudo*, *luctitia*, *Oeconomia*, *regimen*, *bellum* &c. Finis autem ejus asseritur in definitione qui est tum cognitio Entium tum *Actio decentium*, quem utrumq; finem utraq; pars philosophiae strenue urget, nempe speculativa illum, practica vero hunc, uti modo de hoc differetur fasius; dico secundum *Naturalem Aptitudinem* quia non omnem perfectionem hic intelligimus, sed eam tantum quæ ex naturali mentis lumine & acumine proficiisci potest.

### Ad præceptum II.

Divisio hæc quadruplici innititur fundamento, (1) Ratione subjecti quod est Animus humanus, hujus duæ sunt facultates principes (α) ἔπισημον καὶ seu facultas intelligens (β) ὕπερ τινὴν seu facultas appetens, illam excusat philosophia theoretica hanc vero practica. (2.) Ratione Objecti quod sunt res Necessariæ & divinæ vel continentes & humanæ, illas sibi proponit theoretica, hasce vero practica. (3.) Finis & vel cuius gratia, speculativa veritatem, practica actionum honestatem speciat, unde philosophus lib. i. met. cap. i. inquit Θεωρητικὸς τέλος ἀληθεία, πραγματικὸς δὲ ἔργον. Finis & vel cui quæ est perfectio sive beatitudo Animi. Laboramus enim dupliciti Morbo (1) *Veri αἰγαῖα* & (2) *Appetitus αἰγαῖα*, utriq; morbo medetur philosophia theoretica expellendo αἰγαῖα, practica vero αἰγαῖα, Illa facit ut verum sciamus hæc vero ut quod honestum est operemur. Unde mox oritur duplex Beatitudo. 1. *Contemplativa* in speculazione *Veri*. 2. *practica* in actione *Boni* consistens. Utraq; imitamur Deum, omnium Bonorum summum Bonum finemq; extremum. Unde Plato in theateto

vocavit eam Dei & hominis confociationem: Et in phædro duas philosophiarum partes appellat duas alas quibus mens hominis ad superos undē terrenæ cogitationis pondere deprecta ceciderat revolat. Sequuntur quæstiones.

## Q U A E S T I O.

1. *Quibus ductus rationibus ipse pythagoras nomen simplex commutavit in compositum?*

R<sup>s</sup>. Duabus potissimum 1. Ad fastum qnorundam & elationem refrænandam, qui se venditabant magnifico & splendido hoc sapientiae titulō dum tamen vix solidam ejus umbram essent consecuti. 2. ad sapientiae altissima fastigia monstranda, quæ sublimiora judicabat quam ut ad ea humana industria valeret eniti, cum propter rerum difficultatem, tum etiam humani intellectus debilitatem.

2. *Philosophia in abstracto considerata recte nè dicitur sapientia seu σοφία?*

Affr. Ob tres potissimum rationes. (1.) Quia nomina simplicia sunt priora & efficaciora compositis, jam verò vox σοφία est simplex, φιλοσοφία vero est vox composita, ergo nomen σοφία est prius & efficacius nomine φιλοσοφίας (2.) In rerum appellatione non spectandum quid hic possit vel non, sed rei significatiæ natura & indoles est indaganda. (3.) si proper abusum hæc essent mutanda, tunc reliqua omnia mutentur necessè est sic Theologiarum nomen mutandum esset quia hac heretici valde abutuntur, item medicinæ nomen de statu esset mutandum suo, quia sub specie hujus multi multa exacerbent ludicra & præstigias diabolicas. Nec obstat

quod veræ sapientiæ nomen existimârit ipse Pythagoras soli Deo competere, Alia enim est sapientia & genetrix & essentialis, originalis independens, infinita & omnibus numeris absolutissima & perfectissima quæ in solum Deum cadit. Alia verò est & genetrix accidentalis, dependens, à primâ ortas finitas, perfectas quidem in suo genere, sed ratione Dei imperfectissimas. Quæ sapientia in homines cadit. Vide sis Reverend. & excellentiss. M. Nicolai Nyctopensis tractatum de philosophia in genero.

3. Nomen nè igitur Philosophias retinere integrum est?

R. Aff. Quia vocabulum hoc compositum nunc receptum est in constantem consuetudinem, ita ut per hanc nihil aliud intelligatur quam philosophia.

4. Inest nè philosophia homini Naturà?

R. Dist. Tripliciter aliquid Natura inesse dicitur. 1. Quod naturali convenit in clationi. 2. Quod potentiam & quoad semina quædam inest. 3. Quod secundum esse completum actu & formaliter inhæret. Prioribus duobus modis philosophia naturalis dici potest, non enim præter contra vel supra sed secundum naturam est. Ultimo vero modo naturalis vel à natura non est, is namque studio & exercitatione superstruitur. Natura inchoat, doctrina & institutio dirigit, exercitatio sive usus perficit.

5. Quot fuere principales sectæ philosophorum?

R. Tres potissimum, Academica, stoica, peripatetica; Horst. in præcognitis de philosophia in genere. Quamvis

anti-

antiquitus tot floruerunt sectæ, quo fermentè excellentes  
viguere philosophi, tamen post tempora Socratis illæ  
tres multum inclauerunt. Academica ab Academia  
nemore quodam Athenarum suburbano nomen sorti-  
a est: Hæc nihil firmi verbis asserebat, sed suam scienti-  
am modestè dissimulabat. Stotica secta ἀπὸ τῆς σοᾶς  
dicta, à porticu quadam in qua zeno ejus coryphaeus do-  
cebat, hi è diametro Academicis adversabantur, eò quod  
omnia certa & è ineluctabili fatorum serie dependere  
asseverarent. Mediâ viâ nitebantur peripatetici sic di-  
cti quod ambulando disputarent. Horum antesigna-  
nus erat Aristoteles, qui partim Academicis partim  
stoicis se opponebat, asserens contra illos, rerum qua-  
rundam certam & indubitatem dari cognitionem, con-  
tra hos verò res nonnullas contingentē fieri, quævè  
à nostro arbitrio singi variè atq; refingi possunt. Peri-  
pateticj nonnulli quartam addunt sectam Ramæam quæ  
quidem in nonnullis discrepat à peripateticis, in pleris-  
que tamen cum eis reconciliari potest,

6. Merito nè etiam hic de philosophia in genere  
instituenda est mentio habituum?

¶. Hecticè namq; & genuinè considerata ipsa philosophia definitur per Habitum, ut probatum dedi superius ergo quoq; generis ejus natura hic haud in commode attingitur. Est igitur: *Habitus qualitas potentiae naturali superstructa eam ad operandum facilitans.* Est vel Inchoatus vel Perfectus. Inchoatus nihil aliud est quam dispositio sive *dialecticis* ad perfectum. Perfectus vero qui complementum suum est consecutus: Uterq; est triplex vel (1) *Connatus* qualis fuisset integritas & justitia ante lap-

sum, si protoplasti in sanctitate persistissent, & peccatum  
originale nunc post lapsum est. (2) *Infusus* qui superne  
advenit, estq; vel *Extraordinarius* ut dona lingvarum &  
insignis sapientia in Prophetis & Apostolis. Vel *Ordi-  
narius* qui medijs à Deo præscriptis acquisitus supernatu-  
raliter accedit ut fides spes charitas &c. (3) *Acquisitus*  
qui prævio labore magnoq; excercitiō paratur, hic vel  
est (α) Corporis ut ars Iaculatoria, arculatoria, funam-  
bulatoria hastilusoria, qui quidem habitus ratione cogni-  
tionis resident in animo, ratione autem *excercitiū* in corpo-  
re. vel (β,) *Animi* qui in ejus cultura versatur, hi sunt  
vel (α) *Principales* qui sui gratiā tantum parantur. *Prin-  
cipales* vero hi sunt vel (ι.) *Speculativi* qui in illa animi  
parte quæ ἐπιστήμονες appellatur tantum resident, ut  
pote (ι) *Intelligentia* qui est habitus mentis quo principia  
scientiarum & demonstrationem intelligimus tantum.  
Arist. 6. Eth. ad Nichom. cap. 6. (2) *Scientia* quæ est ha-  
bitus demonstrativus ex necessariis 6. Eth. cap. 3. (3) *Sa-  
cientia* quæ est habitus intelligentia & scientia constans,  
vel scientia cum capite 6. Eth. cap. 7. (2) *Practici* ut  
(ι.) *Prudentie* quæ in illa animi parte quæ ὁρεύεται dicitur  
versatur definiturq; Habitus cum recta ratione activus  
circa ea quæ homini bona aut mala sunt. Arist 6. Eth cap.  
5. (2) *Ars* quæ est *Habitus recta cum ratione effectivus*  
Arist 6. Eth. cap. 4. (β:) *Instrumentales* qui non tam sui  
gratia acquiruntur quam alterius alicujus disciplinæ  
realis. ut Grammaticus Rhethoricus & Logicus *Habitus*.

7. Quænam & qualia sunt semina ista & fun-  
damenta philosophiae et colendæ, de quibus mentio in-  
jecta est superiorius in præceptorum enodatione?

R.  
Nihil aliud sunt quam notitiae sive principia illa connata, quae sunt *Habitus à prima infantia insiti*, & à natura antequam ratio se exercere queat inscripti, vel sunt propositiones universales & indemonstrabiles quibus intellectus nullā antecedente probatione assentitur. Sunt vero hujusmodi principia vel speculativa vel practica. Speculativa ut Deus est, quodlibet est aut non est, totum est majus quilibet suā parte, bis duo sunt quatuor. &c. Practica ut Deus est colendus, parentes sunt honorandi, suum cuique tribuendum, nemo ledendus, honestè vivendum. Horum principiorum usus philosophicus est ut sint semi-na scientiarum & artium & discrimina honestorum & turpium.

8. Anne etiam illæ definitiones quas in magna farragine recenset Damnaſcentus in ſuâ dialectica cap. tertio mereantur applauſum?

R.  
Neg. Alia pro genere venditat effectum, alia transſiliſt genus proximum & aſſumit remotum alia hoc, alia alio laborat defectu. Ramæam vero quod concernit definitionem, ea quidem meo juvenili judicio ad bonum ſenſum cum peripatetica erit reducenda, ſi ſibi conſtare velit nam ſystematica illa philosophia conſideratio cui tanquam fundamento inititur eſt à Ramæis ut mihi videtur efficta, & non aliam ob causam, quam ut ſalvum præbeant conductum ſuæ definitioni. Sed abun-det quilibet ſuo ſenſu.

9. Eſtne & ea philosophia diviſio toleranda quam attulit Toletus in proœmio physices, eam nem-pe diuidens in ſpeculativam, Activam & effe- diuam?

R.  
Neg.

Ref. Neg. Non enim effectivæ disciplinæ ad philosophiam, referendæ sunt, nam nec divina contemplantur, nec actiones homini proprias dirigunt, nec bonum honestum earum finis est, sed utile. Et quis est qui cerdones, futores, ephippiarios, aliosq; mechanicos philosophis accensere audeat? Proinde eos jure meritoq; irridet Lucianus qui mechanicas artes philosophicæ numerant, dum quendam qui agrum fossurus erat, ligone philosophaturum dicit. Et tantum de philosophia definitione & divisione in genere.



## SECTIO SECUNDA

# Continens philosophiæ theoreticæ & practicæ naturam, simulac partium ejus succinctam constitutionem.

Theoretica est pars philosophiæ prior, quæ Entia, eorumq; principia & affectiones solius cognitionis & veritatis causa contemplatur.

Distribuitur philosophia theoretica in Metaphysicam Pneumaticam Physicam & Mathesin.

Metaphysica est sapientia contemplans Ens quatenus ens est.

Dividitur in partem communem & propriam.

Pneumatica est scientia spirituum quatenus sunt naturali lumine cognoscibiles.

*Dividitur in partem communem & propriam.*

*Physica est scientia corporis naturalis quatenus Na-  
turale.*

*Dividitur in partem communem & propriam.*

*Mathesis est scientia contemplans quantitatem quate-  
nus mensurabilis;*

*Dividitur in puram & mixtam;*

*Practica est pars philosophiae posterior, actiones hu-  
manas gubernans, easq; ad beatitudinem cum in  
oeconomia, tum politia obtinendam dirigens divis-  
ditur in partem communem & propriam,*

*πραξίας*

### *Ad præcepta in genere*

**N**ulla pars philosophiae suo caret fructu, suaq; destitui-  
tur utilitate; & quemadmodum in omni re hoc est  
palmarium non esse gratis ac frustra, sed semper propter  
destinatum finem & scopum, ita id ipsum de eandidissi-  
ma philosophia ejusq; toto choro recte hic possumus in  
geminare: Apparatus enim hic scientiarum & disciplina-  
rum quantuscunq; est, qui tamen maximus est, nihil in-  
fert superflui, nihil frustranei, sed omnis scientia omnis  
disciplina, partis philosophiae dignanda titulo, hic appri-  
mè utilis ac summe necessaria est, nèc unquam è choro  
exterminanda suo, ni in corpore hocce philosophico mu-  
tilationem ac hiatum admittere velimus; & quamvis  
philosophia minus sit utilis ad exstremandas machinas fa-  
rinarias nummorumq; concumulandas acervos, ut vere  
dictum est à subtilitatis magistro Scalig, iis tamen instruit

**C**

*divi-*

divitijs, facultatibus opibus suum possessorem, quæ longè cariores sunt auro, pretiosioresq; preciosissimis gemmis; Divitiae namq; fortunæ illa missilia quid prosunt interdum, quid emolumenti adferunt? eripinè, naufragio periclitari, incendio consumi possunt? Illa tamen animi virtus, sapientia stola, voluntatisq; integritas, manebunt cæteris abeuntibus, præstò erunt reliquis exulantibus, possessoremq; suum nunquam destituent. Quis igitur erit, qui non hanc illibatam virginem *Philosophiam* optimis stipatam satellitibus, egregio ornatam cultu, splendido cinctam apparatu, acceptabit, reverebitur ac magnificet. Ejus ego genium qui definitione & divisione absolvitur in superiori sectione rudibus depinxiliis, nunc quoq; in hac sectione Deo duce animus est partes ejus quoad prima delineare lineamenta.

#### Ad præcept. I.

Theoretica philosophia *Æt̄n. 78. Seop̄ia* à speculando dicta, in intellectu residet theoretico, cuius munus est res tantum necessarias cognoscere, inq; hac cognitione ultimo subsistere. Solem, cælum elementa, secundum causas & affectiones speculamur, praxia verò eorum nemio nisi mente captus molitur. In metaphysica æquè totaq; philosophia theoretica hæc *Seop̄ia* seu cognitio solius veritatis desiderio suscepta palmarium obtinet quod si verò contigerit hunc finem transiri, moresq; humanos tangi, id opus non est philosophiæ sed philosophi, juxta illud Senecæ. Omnibus sermonibus aliquid salutare miscendum est, cum imus per occultanaturæ cum divina tractamus, vindicandus à malis suis est animus ac subinde firmandus.

#### Ad precept. II.

Res ipsa dictitat, obiectorumq; diversitas aliis atq;  
alius

alius modus considerandi illa objecta flagitat tot debere  
constitui disciplinas; Ex adæquatione enim subjecti &  
modi considerandi illud subjectum, optimè petitur adæ-  
quatio disciplinæ. Consideratio enīm Entis in genere  
& qua Ens exhibet mihi metaphysicam; contemplatio  
spirituum quatenus naturali lumine sunt cognoscibiles  
dat mihi pneumaticam; Speculatio corporis Naturalis  
quà tale physicam donat; per vestigatio quantitatis secun-  
dum sua principia & affectiones ipsam mathematicam  
profert.

### Ad precept. III. & IV.

Nomina hujus disciplinæ varia occurunt dicitur (1)  
*Metaphysica* ratione acquisitionis & inventionis quia post  
physicam est inventa, non vero ratione dignitatis, Na-  
turæ & doctrinæ. (2.) *Sapientia*, quoniam hic habitus  
præcellit in theoreticis ut prudenter habitus in practicis.  
(3.) *Philosophia* νοετὴ φιλοσοφία & per ἀντροφασιαν quia nos  
ibilissima pars philosophiæ est. *Philosophia prima*, quia  
primos conceptus, primaq; principia considerat, in qui-  
bus reliquarum scientiarum principia fundantur. Ge-  
nus est *Sapientia* quia (1.) utrumq; Habitum νοετὴ φιλο-  
σοφία conjungit, respiciendo principia juxta & conclusio-  
nes. (2.) Sex sapientiæ conditiones ipsi competunt, i-  
Versari circa omnia. 2. Circadifficillima & à sensibus re-  
motissima. 3. Habere cognitionem certissimam: 4.  
Habere maximam aptitudinem ad docendum & potis  
esse omnia ad prima revocare principia. 5. Et dignita-  
tem ut propter se sciendiq; causa expetatur. 6. Imperi-  
um ac Dominium in reliquas artes ac scientias habere,  
quaे particulam Entis tantum aliquam sibi præscindunt,  
ensq; limitatum ac determinatum tractant. Scientia

non est sed aliquid scientia sublimius, nam non solum  
inquirit in conclusiones, sed etiam in conclusionum  
principia. Differentia desumpta est à subjecto cuius ma-  
teriale est Ens reale nam Ens privativum, Rationis, directè  
non subeunt considerationem metaphysicam. Formas,  
le verò Ens quatenus Ens, seu Ens non limitatum, sed  
universalissimum & abstractissimum. Divisio metaphy-  
sices trita est in scholis philosophorum: Pars ejus com-  
munis est, quæ agit de Ente in genere, ejusq; affectioni-  
bus, seu ijs quæ ens generaliter consequuntur. Pars  
propria vero agit de speciebus Entis, veluti de substantia  
& accidente & quæ eis subsunt.

### Ad præcept. V. & VI.

Vox hæc πνευματολογία [ sive pneumatica ] sonet  
quasi λόγος τῶν πνευμάτων id est doctrina spirituum. Genus ejus hic asseritur Scientia, Est enim habitus demon-  
strativus ex necessarijs principijs. Licet tamen non sit  
talis scientia, strictè & in rigore illo sic dicta, quæ ex cau-  
sis realiter causantibus, & ex principijs Essendi realiter in-  
fluentibus demonstratur ut fit in physicis, tamen per a-  
nalogiam & alio modo verè dici potest scientia, cum  
conclusiones necessarias & infallibiles probet de suo sub-  
jecto per necessarias & immobiles rationes. Differentia  
petitur ab Objecto quod est spiritus unicè enim circa spiri-  
tus, eorumq; naturam versatur Pneumatica, & quidem  
quatenus spiritus sunt. Essentiam quippè spirituum per  
operationes & proprietates eorum proprias indagat atq;  
exponit. Generalis pneumaticæ pars est, quæ præcisè  
agit de Natura spirituum in communi, eorumq; propri-  
tatis in genere. Specialis verò seu propria est quæ  
agit de spiritibus singulis distinctim ut potè de Deo An-  
gelis & anima humana in statu separato.

Ad

## Ad præcept. VII. & VIII.

Hæc scientia ἀντὶ τῆς φύσεως nomen sortita est, natura enim hic in physica indaganda, natura cognoscenda, natura explicanda est. Genus hic est *scientia*, affectiones enim de suo subiecto per causam proximam demonstrat, quantitatem ne[m]pè de corpore naturali per materiam, qualitatem per formam. *Differentia à subiecto* petitur quod est corpus Naturale quatenus naturale: Cum enim plures sint scientiæ, physica ab ijs omnibus per subiectum hoc distinguitur, sicut aliæ proprium & specificum *esse* habitus à proprio dependet subiecto. Partes physicæ sunt duæ, Generalis quæ corpus naturale in genere considerat, ejusq; causas & affectiones exhibit. Specialis verò quæ corporis naturalis species perpendit, earumq; causas & affectiones expendit.

## Ad præcept. IX. & X.

Disciplina hæc secundum suam Etymologiam significat in genere omnem cognitionem sive aptitudinem ad disciplinas, eò quod mathesis præparet mirificè animos ad capessendas alias disciplinas, in specie verò indigitat artem divinatricem sive ad divinandum commodam: qualis sola est Astrologia. Genus est *scientia* namque omnia requisita scientiæ habet, subiectum necessarium principia & affectiones. *Differentia æstimatur à subiecto* quod est quantitas quatenus *Mensurabilis*. Mathesis namq; sola considerat quantitatem secundum sua principia & affectiones. Dividitur in Puram & Mixtam. Pura est quæ occupatur in quantitate simpliciter, Impura seu Mixta quæ agit de quantitate cum adjectione differentiæ extraneæ alicuius.

## Ad præcept. XI. & XII.

Præctica dicitur ἀπό τοῦ στράτευμα quod est agere & operari; hæc namq; philosophiæ pars non in nuda quiete speculatione, verum etiam hanc actionum humana, rum contemplationem refert ad praxin sine qua omnino nauci est aestimanda. Genus ejus est pars philosophia, ad philosophiam enim tanquam pars ad suum refertur totum. Additur in definitione pars posterior idq; partim ex se suaq; natura quia prius est contemplari, quam agere: partim ratione subjectorum quæ informat, quia intellectus est prior appetitu sive rationali sive sensitivo. Partim etiam rerum sive objectorum circa quæ versatur, practica enim objectum suum ex philosophia theoretica mutuatur, nempe affectus & mores, qui simpliciter spectati subeunt considerationem physicam. Pars communis philosophiæ practicæ est, quæ virtuosam actionem svadet declaratq; non habitò respectu ad hoc vel illud vitæ genus seu statum. aliò nomine Ethica dicta. Pars vero Propria est, quæ virtutem, laudabilesq; actiones coarctat ad peculiares vitæ status, beatitudinemq; in illis statibus aucupandam. Undè vel Oeconomica orta est quæ felicitatem urget domesticam, vel Politica quæ felicitatem venatur civilem.

## QUÆSTIONES

### 2. *Specificatio disciplinarum unde petenda est?*

Ex Objecto & adjuncto considerandi modo proprio. Habitus namq; specificandi sunt per actus in ordine ad objectum illis conveniens Algazaël lib. I. sue phil. cap. i. Neq; excludo hic diversitatem abstractiōnum si modo cum ipsa re consenserint. Alias Abstractio

*Etio prout est pura mentalis actio, nullam rebus infert di-  
versitatem. Namq; res mensurant intellectum non viceversa  
prout scitum habet philosophicum.*

*2. Quanam philosophiae pars dignior, praestan-  
tior & utilior?*

*R. Philosophia theoretica ratione nobilioris præstan-  
tiorisq; objecti & propter certitudinem ac evidentiā  
demonstrationum palmam præripit philosophiæ practi-  
cæ; Regiminis vero respectu & usus practica præferen-  
da venit. Namq; à solis & nudis speculatoribus nihil  
emolumenti in tempore redundant potest, neq; politiam  
constituere, neq; sauciātam ad integritatem & sanitatem  
reducere queunt. Adde quod philosophia practica ter-  
minos ponat metasq; designet philosophiæ theoreticæ,  
& quatenus ei in Repub. locus esse debeat, ostendat. Illa  
qui caret nec vir bonus nec bono civis existere potest, hæc  
vel in pessimos cadit, imò in ipsos etiam diabulos. Illa qui  
sunt instructi, veram demum profitentur philosophiam,  
cum nihil aliud sit ingenuè philosophari, quam virtutem  
factis ipsis exprimere. Vid. hac de re Nobiliſſ. & consul-  
tiss. Dn., Praſidis fasc. contr. Eth.*

*3. Cui parti philosophia prius est in cumbendum?*

*R. Theoreticæ, Hæc namq; prior est altera (1.) Ordine  
nature. contemplatio namq; prior est actione, (2:) Ordine  
doctrine desumit enim practica objectum suum ex theo-  
retica, omnisq; actio prius consideranda est per se quam  
cum additamento, quatenus scilicet vel honesta vel turpis  
sic etiam homo prius per se considerandus est, antequam  
consideretur quatenus est bonus & laudabilis.*

*4. Quis*

4. *Quis ordo servandus est inter disciplinas theoreticas?*

R. Primitate Adæquationis (ita loqui hic licet) metaphysica primo loco collocatur, Ens namq; cum tota periodo transcendentium exponit. Primitate vero perfectio-  
nis primò ponenda erit pneumatica, quæ nobilissimum  
habet objectum. Eum tamen ordinem optimum du-  
co, qui primò loco dignatur metaphysicam, huic suc-  
centuriat pneumaticam; postea verò physicam, ultimò  
mathesin collocat. In docendo vero & discendo hunc  
ordinem planè observari non volo.

5. *An detur metaphysica, an à reliquis disciplinis sit distincta?*

R. Affr. utrumq;. Prius ita stabilitur. Dato scibili seu  
objecto, danda etiam est scientia de eodem vi relatorum. Atqui  
Ens qua Ens cum suis attributis & speciebus datur Ergo. Ex  
Objecto namq; proprio, & adjuncto considerandi modo  
dignoscendæ sunt disciplinæ, ut superius evictum est.  
Nulla enim alia disciplina vendicat sibi Ens qua Ens tan-  
quam objectum proprium tractandum, sed alia atq; alia  
disciplina, aliam atq; aliam particulam entis certo modo  
sibi perscrutandam præscindit. Logica quidem etiam  
assumit sibi Ens tanquā objectū tractandū, verum nonqua  
Ens sed quaten substernitur notionibus secundis: neq; sci-  
entificè considerat v. g. causā causatum, subjectū & adiu-  
nctum &c. Verum ostendit generalem quendam mo-  
dum definiendi & dividendi, qui potest ad hoc vel illud Ens  
reale applicari. Munera verò quæ metaphysicæ indi-  
gitant necessitatem sunt 1. purificare intellectum & expolire  
in intellectione rerum maximè universalium, 2. Confir-  
mare

*mare prima principia quod facit tum (α) declarando terminos ex quibus prima principia constant, tum (β.) deducendo ad absurdum, si scilicet oppositum principii implicat contradictionem. 3. Confirmare particularium scientiarum principia. 4. Disciplinis particularibus prescribere subjecta, eaq; urgente necessitate demonstrare.*

*6. An Pneumatica sit sequestranda à reliquis disciplinis?*

Affr. Multi existentiam hujus disciplinæ in dubium traxere, suffulti rationibus haud contempnendis (1) quod disciplinæ non sint multiplicandæ citra necessitatem, adæquata namq; ratio *ajunt* discriminandi scientias speculativas, petitur ex abstractione, cum ergo Deus & Angeli consentiant in una specie abstractionis quæ est à materia secundum rem & rationem utiq; in una eademq; disciplina doceti debent. (2.) Quod pauca lumine naturæ constent de spiritibus ut inde non sit constituenda peculiaris disciplina, (3.) Quod philosophus peculiarem disciplinam non assignavit spiritibus, sed in metaphysica de illis egit lib. 10. Metaph. Hæ rationes sat graves & ponderosæ sunt, unde etiam gravissimos commovereunt viros verū re penitus introspectâ facile diluuntur. Quod (1) concernit ultronei fatemur, non esse præter urgentem necessitatem multiplicandas scientias, verum hic evidens necessitatis ratio est constituendæ pneumaticæ ab Objecto petita, quam enim necessariæ sunt reliquæ disciplinæ ob objecta sua peculiaria, tam necessaria quod; erit pneumatica, ob suum objectum proprium, spiritum nempè nec purâ putâ abstractione specificantur disciplinæ, nam nuda mentis operatio rebus ipsis non

inserit discrimen, ut dictum prius, & demum si maximè  
urseris abstractionem, longè alia erit abstractio meta-  
physicæ nimirum secundum *indifferentiam*, alia vero spi-  
rituum tempè secundum *Essentiam*; illa rationis ope ope-  
ràq; perficitur, hæc vero citra operationem intel-  
lectus in re ipsa datur, ad (2) dicimus, non ita exigua esse  
quæ de spiritibus naturali lumine scimus, pro ut ex pecu-  
liari tractatu D. Scarphij innotescit. Nec quantitate  
metiri disciplinas debemus, sive prolixæ sint, sive suc-  
cinctæ brevitate, modo objectum proprium habuerint.  
(3.) Aristotelis vestigia strictè hic non premissus, nec au-  
thoritas ejus nos obligat, unicuiq; enim integrum est suo  
abundare sensu, modo veritas hinc datum non sentiat  
Unde meridianâ luce clarus est admittendam esse  
*την μαραλογιαν* eamque ab alijs disciplinis distinctè  
tradendam.

7. *An objectum adæquatum physices sit corpus  
naturale, & unde veritas physica petenda?*

1. Subjecti scientifici requisita sunt 3. Ut non demon-  
stretur quid sit, & quid nomine ejus significet. 2. Habere pro-  
pria principia & proprias affectiones. 3. Nulli rei inhære-  
atex ijs quæ pertinent adeandem scientiam, est namq; ba-  
sis & fundamentum omnium quæ in scientia tractantur.  
4. Sit toti scientiæ adæquatum, ut nempè nèc eam exce-  
dat, nec ab ea excedatur; igitur cum hæ conditiones os-  
mnes competant corpori naturali, non potest non esse  
adæquatum physices objectum. Norma vero ad quam  
exigenda venit veritas physica, est ipsa *natura*, seu *cor-  
pus natura præditum*. Nam omnis cognitio dependet  
ab objecto, seu re quæ cognoscitur, indeq; etiam mensu-  
ratur: prout enim res est in *esse*, ita quoq; erit in r. cognos-

sci tenet tritum philosophicum. Si antem hæc cognitio congruit cum ipsa re vera est salutanda, si secus falsa. Sacram scripturam hic non excludimus (quis enim creatori de creaturis prædicanti, calculum non adderet suum?) sed controversiarum physicarum inadæquatam amussim statuimus, ejus quippe alius est scopus alia intentio.

8. *An quantitas quatenus talis, sit adæquatum matheseos objectum?*

R. Affr. Omnia namq; requisita subjecti scientifici ipsi competunt; & ut mathesis est diffusissimæ considerationis, ita etiam ipsa quantitas. Multa enim de ea cognosci possunt in abstracto plurima de numero, magnitudine, pondere, mensura, numero sonoro, linea visibili &c. In quibus tanta amplitudo, tam diffusa contemplationum seges, ut singula totum requirent videantur hominem.

9. *An mathesis sit disciplina una?*

Neg. Distincta dantur objecta disciplinaria in mathesi, quæ eam in diversas secant disciplinas. *principales* disciplinæ sunt *Arithmetica* & *Geometria* quæ ambæ totam exhausti latitudinem quantitatis. *Arithmetica* est scientia quantitatis discretæ sive numeri, *Geometria* verò quantitatis *continuae*, dicuntur hæc disciplinæ *pura mathematica* quia purè & sine addito loquuntur de quantitate. *Imperata* verò sive *mista* dicuntur, quia assumunt ad quantitatem differentias extraneas. Quales sunt *Cosmographia*, quæ subdividitur in *Astronomiam* & *Geographiam*, *optica*, *Musica*.

20. *A disciplina impura mathematicae, magis  
Et rectius referantur ad matheſin quam physicam?*

R. Aſſr. Ex modo procedendi circa obectum ſuum quem prorsus habent mutuatum libi à Matheſi. Nam affectiones suas demonstrant ex principijs arithmeticis & geometricis; velut mathematicus docet cœlum eſſe rotundum, ratione inde petitâ, quia æquidistat à centro mundi, quæ probatio ſumitur ex geometrica ratione circuli. Et quamvis nonnullæ ut de Astronomia & Astrologia evidens eſt, à physica habeant objecti partem materialē partem tamen formalē ſive differentiam reſtrigentem acceptam ferunt matheſi. prout id præter alios docent Zabarel. lib. 2. phys. cap. 2. Colleg. Con-nim. lib. 2. phys. cap. 2.

21. *Tauτολογίας - nē iſimulandi ſumus quod  
quamlibet fermè ſcientiam diuiſerimus in partem  
communem Et propriam?*

Neg. Plures ſunt res quam nomina rerum, rerumq; copia, verborumq; inopiat maximâ laboram⁹; vocula itaq; ubiq; occurruunt eadem, res itaq; vocibus iſtis significa-ta, cuiilibet disciplinæ peculiariſ eſt, nec aliter divisiones institui poſſunt, flagitat id (1) Ordo à Natura ſubjecti pe-titi⁹, cum n. ſcientia ſit circa ipsa ſcibilia pro ratione etiam ſcibiliū venit ſecunda; ſcibilia v. duob⁹ modis iſinuant ſe menti noſtræ, vel generaliter vel ſpecialiter etiam partes ſcientiarum, aliæ generales aliæ ſpeciales erunt. (2) à no-ſtro intelligend⁹ modo, qui ſecundum naturam ab uni-verſalioribus & ſimplicioribus ad ſpecialiora & magis composita facilius progredi potheſt. Et eſt ſecundum na-turam inquit philoſophus priuū communia dicere, deinde

ea quæ circa unum quodq; sunt propria contemplari i phys. cap.  
7. Item propriorum contemplatio, posterior est communium.

12. Inter agere & efficere (πράττειν καὶ ποιεῖν)  
quodnam est discriminatio?

R. Actiones quæ ex practici intellectus judicio prodeunt, ad duo revocari possunt genera, vel enim σοιησεις sunt vel πράξεις, hæ autem duæ voces et si vulgariter interdum confundi soleant philosophicā tamen ἀναγιβεία distinguuntur. (1) à posteriori ita ut σοιησεις dicantur quæ post se relinquent opus, πράξεις vero sive actiones pleræq; non item. (2) à priori σοιησεις dicuntur quas artis, πράξεις vero quas prudentiae habitus dirigit. σοιησεις quippe à sola pendent arte, undè τέλος id est perfectionem suam in se ipsis inclusam habent. πράξεις vero quoniam prudentiæ diriguntur, non habent se uniformiter ut potè quarum bonitas dignoscitur ab animo agentis; maximè enim interest, an quispiam agat sciens, deliberatō consiliō firmā voluntate &c. An vero securus. Undè σοιησεις ab eventu, πράξεις ab animo agentis aestimari solent, circa illas errare perfectionis videtur circa has verò deterrimum.

13. Annè etiam in philosophia practica, contemplatio seu cognitio requiratur?

Afr. Disting; inter theoriam primario quæ in se ipsa consistit solius veritatis desiderio suscepta & actionem per se & sua natura non respicit. Ut cognitio cœli, elementorum, animalium &c. Et secundario ita dictam quæ ex proprio genio & indole semper respicit actionem, qualis est contemplatio Oeconomia, virtutum, ciuitatis &c. Omnis namq; virtutis laus in actione

consistit Cic. i. off. & *Actio si desit virtus est futile nos*  
*men Sis. Ital.*

14. *Recte ne dividitur philosophia practica in  
partem communem & propriam?*

Affr. Illa Ethica audit hæc in Oeconomicam & politi-  
cam subdividitur. perquam docti viri hoc diu anceps  
habuere, num *Ethica, Oeconomica Politica* specie essent di-  
stinctæ disciplinæ, quod tamen non admittendum reor.  
Idem enim *objectum* habent quod sunt actiones humanæ,  
& ipse homo quatenus ad felicitatem civilem informa-  
tur; in Ethicis sine respectu ad certum vitæ genus,  
in politicis ratione Reipub. in oeconomicis ratione  
felicis status domestici. Idem finis nimirum beatitudo  
seu felicitas neq; enim de alio fine in politicis & oecono-  
micis agitur, sed generalia saltem applicantur: Idem  
namq; est bonum civitatis & singulorum hominum.  
Ita & eadem occurunt & adhibenda sunt media nimi-  
rum virtutes, eadem præcepta temperantiae fortitudinis,  
justitiae, quæ in parte communi seu Ethica proponuntur,  
in Politica deinde & Oeconomia ad speciales casus ac-  
commodantur. Unde hæc nihil aliud quam Ethica spe-  
cialis dici possunt. Leges verò quæ in Politicis passim  
allegantur nihil aliud sunt quam *virtutes armata paenit*;  
Nullam proinde specificam inter hasce partes differenti-  
am haberi dispalescit, sed ut communem sive generali-  
orem, & proprias sive specialiores partes saltem differre  
adstruimus. Vid. hoc de negotio Nobiliss. Dn. præ-  
fid. Colleg. Eth. Disp. i. qui hæcce ut quam plurimæ  
alia doctissimæ limæ perpolivit.

R<sup>e</sup>. Duplex docendi genus est, vel πραγματικὸν, quod virtuosas s̄vadet actiones imperatq; , & δογματικὸν quod virtutem intimius rimatur: Utrumq; singulari dexteritate persecuti sunt Ethnici, parvenses poëta oratores historici nobis propinārunt. Virtutum cōrdes peripatetici dogmaticē tractarūt. Ad utrūq; docendi gen<sup>o</sup> nobis subinde respectandum est, nec tam curandum qui dixerint quam *quid* dixerint. Ethnicorum enim scripta quatenus verbum Dei non impugnant & menti faciem præserunt, quidpi in nostrum subsidium, aliorumq; emolumentum & Dei gloriam usurpare integrum est? Nam & hoc lumen est à primo lumine accensum, & fontem omnis boni agnoscens. *Adde* quædam etiam sunt legenda, non ut teneantur, sed repudientur. Atq; hæc sunt quæ impræsentiarum de hac materia adducere volui. Cæterum Deo omnipotenti sit laus, honor & gloria in secula seculorum. A M. E. N.

## MANTISSÆ.

I. In metaphysica principia effendi non dantur, Enī namq; hic absolute & in commoni ratione expenditur, quo nihil est prius aut sublimius. Principia tamen demonstrationum seu cognoscendi omnino inibi exiguntur, ē quibus eminenti & sublimi quodam modo, elicit conclusiones universalissimas. Primum & summum est principium quod habetur apud philosophum 3. metaph. o. 3. 4. itemq; lib. 4. c. 4. τὸ ἀντὶ ἀπειπόντεν, καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδυνατο, Impossibile est idem simul esse & non esse quod alij ita efferunt, non potest idem simul offmari & nega-

negari de eodem. Alij ita Duo contradictoria non possunt esse simul vera & falsa. Estq; hujus principij tanta virtus, ut nemo recurrat ad hujus inficiationem, ut potè lumine naturæ notissimi, sed vel ad desertionem suæ sententiae, vel ad alia diverticula.

2. Esse aliquam notitiam de Deo, nobis non praescriptam, sed inscriptam, non traditam sed naturâ insitam evincunt non tantum saniorum Ethnicorum monumenta perplurima ut Cic. lib. 2. de nat. Deor. itemq; senec. epist. 92. Plat. de legibus, Plaut. Phocyl. &c. verum etiam sacer ille codex extra omnem controversias aleam ponendus id ipsum inculcat in pauli Epist. ad Romanos cap. i. Hanc autem notitiam Ethnici saniores tanti fecerunt ut eam negantes sua conversatione & oportebat indignos censerent, ut refert Valerius Max. lib. 1. cap. 1. de Atheniensibus qui Diagoram Milesium suâ urbe pepulerunt, quod scribere non veritus fuerit, se ignorare an dijissent.

3. Causæ corporis naturalis sunt principia quæ in esse illius influunt. Sunt vel Internæ quæ corporis naturalis essentiam ingrediuntur, ut Materia & forma, externæ quæ corpus naturale extrinsecus constituunt ut Efficiens & Finis. Ea verò quæ de principijs physicis peripatetici ex Aristotelis libris tum physicis tum metaphysicis, magno sed ex parte sterili labore conquirunt & corradunt, vix nobis ad palatum esse possunt. Quid enim eorum materia prima? quid eductio formarum est potentia materiae? quid privationis figmentum? sunt nihil nisi humani cerebelli foetus: nunquam in natura ipsa monstrati atq; ostensi. Magni Aristotelis alia quedam scita haud parvi pendimus, sed hoc in negotio ipsi ad lipulari haud possumus.

Materi-

Materiam primam, subiectum primum generationis & corruptionis vocat, at nulla unquam generatio aut corruptio in tali facta est materia, sed omnes generationes & corruptiones loco subiecti materiam secundam habent. Eductionem illam formæ è potentia materiæ quod concernit, quærimus quid potentia illa materiæ sit aut substantia aut accidens? Si substantia materiæ, tunc transit materia in formam, si accidens, ex accidente fieret substantia, quod utrumq; est absurdum & φιλότοφον. Privatio neq; stare potest, & si possit, non tamen ut illi illam explicant rationes reservamus bono cum Deo conflictui publico,

4. Hypotheses astronomiæ vel Natura duce se monstrant, & è physicis de promuntur, vel à mathematicis ingeniosioribus efficiæ sunt. Illæ tot sufficiunt, i. Mundum & corpora nonnulla mundana esse sphærica, 2. Terram & aquam conjunctim unum constituere globū, qui terrenus appellatur. 3. terrenum hunc globum ad extremam cœli extensionem collatum, obtinere rationem puncti, non quidem geometrici sed physici. 4. Motus corporum coelestium circulares esse. 5. Motus corporum coelestium regulares non irregulares esse, simplicis namq; corporis, simplex est motus. Fictæ vero Astronomorum hypotheses sunt, quas non natura prodidit, sed ingenium politius humanum introduxit, easq; ad salvandas motuum species effinxit, cœloq; aptavit in hoc namq; nullus æquator, horizon meridianus &c. revere est, verum astutum tunc hujusmodi commenta, ut eorum subsidio suffulti, in motus coelestes rectius inquirere possimus. Talis hypothesis astronomica primo motui salvando ex cogitata est globus coelestis, sive sphæra artificialis, instrumentum ad similitudinem cœli rotundum,

in cuius superficie notantur stellæ fixæ cum suis asteris, mis, ut & circuli primi mobilis Hi in sphæra artificiali adhibentur communiter decem, quorum alij sunt majores qui idem centrum cum sphæra habent, & sphæram in duo æqualia segmenta dividunt, numero sunt sex, *æquinoctialis*, *Zodiacus*, *Coluri duo*, *Meridianus*, *horizon ejus* *æquator*. Minores sunt qui diversa centra à sphæræ centro obtinent, eamq; in duo inæqualia segmenta secant. Tales sunt quatuor, *duo tropici* & *duo polares*.

5. Actionum humanarum differentiæ sunt *rō ðæx-*  
*tor* *rgi* *rō èxætor* id est invitum & spontaneum. Etenim vel laudem vel vituperium, vel præmium vel poena *rō èxætor*, veniam vel misericordiam *rō ðæxætor* meretur. Invitum est vel per *Vim* vel per *Ignorantium* Arist. lib. 3. Eth. c. 1. *Violentum* definitur cuius principium est extra nos, atq; ejusmodi, nihil ut adserat adumentis, qui agit aut patitur. lib. 3. Eth. c. 1. *Violentum* duplex constituitur vel *ðæxætor* quod jam definitum est vel *nárali* seu mixtum, vel actio media & mixta, quando vel metu majoris mali, vel spe majoris boni consequendi, vel alia necessitate adigente, aliquid suscipimus agendum, quod simplicitè & optione datâ non faceremus ut cum paterfamilias orto in vicinia incendiò, novas utilesq; sibi ædes diruit, ne tota villa incendio consumatur. Sed quoniā actiones ex fine & circumstantiarū ratione potissimum estimandæ sint, hæ etiam actiones magis pro spontaneis quam invitis venditandæ veniunt. Unius quippè ædiculæ, quam totius domus jacturam facere movult & tolerabilius dicit. Invitum vero per *Ignorantium* est, cum ignorantia est causa alicujus actionis, non vero aliud quod ignorantiam induxit; distincta namq; sunt *Ignorans* aliquid agere, vel per *Ignorantium*,

tic qui aliquid committunt ebris aut irati, ignorantes quidem illud patrant, verum non per Ignorantiam, in illorum namq; potestate est, ista ignorantia non laborare lib. 3. Eth. cap. 1. Spontaneæ sive voluntariæ actiones sunt, quæ nec violentiæ externæ, nec per Ignorantiam admittuntur. Atq; hæ voluntatis actiones sequuntur dictamen intellectus practici, sine quo voluntas nec appetit aliquid nec aversatur.

6. Conjugium unius maris ac foeminæ indissolubilem conjunctionem, proli & solatij causa etsi Ethnici quidam cæci reprehenderint ab eoq; horruerint, nonnulli tamen saniores id approbarunt, magnifecerunt, imo reverenter habuerunt, ac ad id colendum authores ac monitores exstiterunt. Fons namq; ac fundus reliquarum hæc societas meritò censenda ac salutanda est. atq; ut primitus à Deo sanctissimè fuit instituta, ita ad huc incrementum familiarum, Reipub. Ecclesiæ intemera ta servanda est; publicè enim interest honestas familias florere ac multiplicari, satiusq; est hominum adjectione, quam pecuniarum copiā ampliari imperium egregie Hadrianus Imp. respondit. In id quoq; Augustum labrasse Tacitus non tacet. Nec alieni ab hac sententia fure censores illi in Repub. Rom. quorum munus erat inter cætera familias centere ac vitam cælibem prohibere Cic. 3, de ll. Unde Camillus & Posthumius censores, eorum æra, poenæ nomine in ærarium deferre jusserunt, qui cælibes ad senectutem venerunt. Val. Max. lib. 2. c. 4. Omnibus proinde sponsalia meditanda, qui matram ingressi ætatem, defectu aliquo vel impedimento, quod conjugium intercipere potest non laborant, aut de peculiari continentia dono sibi gratulari nequeunt. Alias enim ipsi Naturæ, laudabiliq; gentium consuetudini

relata sunt, & quod nefandum est ut cum Gvaz. loquar,  
seipso immortalitate privant liberis operam non dando  
patriam civibus cœlum incolis quantum in se est de-  
fraudent. Vid. si non op. œconomices Nobiliss. Dn., præ-  
sidis.

7. Rerum pub. species seu Imperiorum formæ tres  
omnino celebrantur, aut enim unus summam in omnes  
sibi subjectos tenet potestatem & monarchia dicitur. aut  
plures regnant & polyarchia nominatur. Ex his vel  
pauciores sive optimatum regimen, sive aristocratia ori-  
tur, vel totus populus vel major ejusdem pars rerum gu-  
bernacula tenet unde status popularis sive democratia  
exsurgit. Plures autem formæ in uno imperio eodem  
tempore sunt incompatibles & impossibilis, non secus  
ac idem homo sanguineus & melancholicus, phlegmati-  
cus & cholericus in excellenti gradu esse non potest, in  
gradibus tamen remissis & successivè quin possint dari  
nihil prohibet. Sic in Romana Repub. pulsis Regibus,  
potestas creandorum magistratum, condendarū legum  
jus belli, pacis, provocationis, vitæ necisq; penes popu-  
lum fuit, unde Democratia. Eadem quoq; Aristocra-  
tiæ quoddam temperamentum addebant dictatores,  
consules &c. Nunc in germanico imperio Monarcha  
est Imperator, optimates sunt electores, plebem cæteri  
status repræsentant. Hic verò in nostro imperio est  
monarchia munita optimâ Aristocratia. uti ex cap. 5 & 8.  
Konungabalken £ £ aurea regiminis forma, alijs vè constat.  
Hic namq; est summum caput, imperium tenens  
in universos regni incolas, optimates adjunguntur regi  
& præsidio & ornamento, plebs verò solida gaudet liber-  
tate, uti receptus comitiorum mos, suffragiorum jus. vo-  
taq; libera edocent, videlicis cap. 4. Konungabalken £ £.

Quæ-

Quænam verò enumeratarum formarum alteri veniat  
preferenda, satis ardua est controversia; Democratiæ  
Oitanæ apud Herodotum lib. 3. patrocinatus est, pro a-  
ristocratia pugnat Megabyssus apud eundem Herodo-  
tum. Rationes utrinq; sat plausibiles deponi possunt  
verum ut instar tenuiorum filorum & non secus ac ara-  
neorum telæ subtile, ita quoq; fragiles, quas si plenâ  
manu contrectes, facile disrumpuntur. Quæ autem ra-  
tiones nobis monarchiam commendabilem reddunt hæ-  
sunt (1) Ipsa Natura Naturans, unus enim est Deus omnia  
gubernans. (2.) Natura naturata tum (æ)macrocosmi, in  
cœlo unum est princeps luminare reliqua collustrans  
*Sol* (3) microcosmi una anima, vitalium actionum præ-  
ses. (3.) Unum judicem, ducem, Regem populo suo  
Deus præstituit. (4.) œconomia Reipub. imago, ubi  
unus paterfamilias sive rector. (5.) Omnium fermè  
gentium mos, ac tacita quædam quasi lex. (6.) Hæc est  
unionis, constantiæ ac firmitatis quædam quasi columna,  
hinc Romani ad incitas redacti, dictatorem unum, an-  
choram, numen, & hostium terrorem ut inquit Livius  
sibi elegerunt. (7.) Monarchiæ cæteris rerumpub. for-  
mis durabiliores fuere ut historiæ loquuntur. Reliquæ  
formæ etsi suis gaudeant prærogativis & commoditati-  
bus, eæ tamen comparative minores sunt hujus, &  
majora earum incommoda, onera ac difficulta-  
tes, quam hujus sunt. Guiq; tamen nationi  
ac genti suus est relinquendus genius. Sed  
manum de tabula !



Viro Juveniori natus.

DN. JOHANNI ANDREÆ  
NEZELIO, Philosophiæ Canditato, præ-  
stantissimo de Philosophia in genere, pro  
gradu in ea summo solerter disputanti.

A Llicis ad studium sophiæ dilectæ Johannes  
Æquales Juvenes, indole quosq; bona...  
Pandendo genium Sophiæ; sint præmia digna...  
Conatu eximio. Faxit id omnipotens

Ita honoris & amoris

Ergo

L. Mq;

ÆSCHILLUS PETRÆUS  
Episc. Abt:

N Aturam Sophiæ quisquis commonstrat acutè,  
Haud dubiè hoc ipso se probat esse zōqon  
Id facis egregiè, docte ac dilecte JOHANNES  
NEZELI; præsens pagina testis erit,  
Quâ docto claris discursu tete brabëis  
Dignum sat prodis: quid vetat ergo dari?

Serta

Serta tibi Charites neCent, & Apollo corollam:  
Totus cumplaudit musicus, Euge! chorus,

Præstantissimo, ingeniosissimo atq; eruditissi-  
mo Domino Candidato,

R E S P O N D E N T I

Amico affectu magis quam culto  
versu ita congratualtur

P R A E S E S

JOHANNES ANDREÆ NESELius

per

A v a y g a m u m g e n o u o v

R O S A S L E N E S A N N I N A E D E V E H I S

Q uod clavis ingenio quod mentis acumine pulchro,  
Contraria sophiaæ pagina curta monet,  
Hortos Thespianum nam ingressus docele Johannes  
Illarum LENES colligis arte ROSAS,  
Lustrârunt Sophiaæ flores ANNI Juveniles,  
Floræ splendentis sidera purpurea,  
Ex quibus Sertum nitidum texunt tibi Musæ  
Atq; labore tuo præmia digna dabunt,  
NÆ summam laudis de Musis DEVEHIS amplam,  
Quâ fias Patriæ candida gemma tua,

Gratu-

*Gratulor ex animo tibi lataq; quæq; precabor,  
Et fortunatus vive vigeque diu.*

Præstantissimo Dn Candidato Johanni Andreæ  
Nezelio, amico & fratri suo favissimo, de  
Philosophia in genere egregiè differenti,  
ἐις φιλαδελφίας τεκμήριον lubens ap-  
plausit.

*LAURENTIUS SUNDIUS*  
*Sudermannia - Svecus.*

**M**υσάων ἐλικωνιάδων πολυθάϊδαλος ἔσκει  
Θηρευτῆς, ἀντὰς πρὸς ταῦθαν ἔφθασας αἱμῆν.  
Εὖγε πόντα μισθὼν κομιῆ δῃδαλίμοιο  
Καὶ κεφάλην σεφάνῳ σέναι κοσμήσει Απόλλων  
Οὐλβίῳ ὁδε σαφηνῶς ζῆτε παμφίλτατε ΙΑΝΝΗΣ  
Ἐγεγεινέν τέο νῦν μετὰ μηδίσην τ' ἄνθρωφημη,

Σπεδαιστάτη φτῶν Μεσσάν ἐμεῖ ἐταῦρῳ ἸΩ-  
ΑΝΝΗΝΗΖΗΛΙΩ τῷ περὶ φύσεως τῆς  
Φιλοσοφίας περικαλέως Φιλοσο-  
φεντε τῷ το εξάσιχον συγχαίρων  
ἀπέλιπε

*CAROLUS ERICIIUS*  
*Suderman.*

